

LUX PERPETUA¹⁵
PIJS MANIBUS
MAGNIFICI, PRÆNOBILIS, STRENUI,
ATQUE CONSULTISSIMI DOMINI DOMINI
BALTHASARIS

A NOLARN
DE NOLENSTEIN
AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ DOCTORIS,
Sacri Romani Imperij, & Auratæ Militiæ Equitis, Sacræ
Cæsareæ Majestatis Consiliarij, & Comitis Palatini.

S U C C E N S A

AB ARDENTE AMORE
INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,

Dum ei

Ut Decano suo quinquies meritissimo, & Rectori Uni-
versitatis Viennensis quater Magnifico,

O R A T O R I A P A N E G Y R I

Et Exequialium missarum solemnitate

IN BASILICA VIENNENSI.

D. STEPHANI PROTO-MARTYRIS

MOESTA PARENTARET,

Anno à Partu Virginis M. DC. LXXIX. decimo tertio Calendas Aprilis.

LUX PERPETUA

PIA MANIBUS

MAGNIFICENTIA REGIA, STATU
ATQUE COMITUM DOMINI REGNI

BALNEARIIS

A NOBIS

DE NOBIS

AA. ET PHILOSOPHO DOCTORIS
Sacri Romani Imperii

Consilii Praesidentis



AB ARDIBUS

INCLYTE FACULTATIS PHILOSOPHICAE

Et Decano suo quondam archidiacono, & Regiori
reuerentissimae

ORATORIA PAVLENSIS

Et Praesidentem

IN BASILICA VIENNENSIS

D. STEPHANI PROTO-MARTYRIS

MOESTA PARENTERET

1777. M. DC. LXXVII. diebus mensis

1777. M. DC. LXXVII. diebus mensis

ORATIO.



Lux perpetua luceat ei, Magnifice Domine Rector, suffragare Facultas Philosophica, subscribe Academia universa, Lux perpetua luceat ei. Hanc æquissima ejus jura, hanc immortalia exposcunt merita, hanc à terrenis suffragijs lux ijs decreta inter sidera: indocta luctuosus metus his Consilij minatur pericula: non ego quidem hujus lucis incendia nova negaverim doloris argumenta, non tamen Sapienti Acadedemico- rum pectori inter renovata vulnera periculosa præfagiri admiserim infortunia: dolere enim cum Platone, non torqueri novit sapientia: est suum etiam dolori solatium: non omne solatium luctuosorum cinerum odit memoriam, inter regales etiam cupedias cineres amantur: ubi virtus vivit inter cineres, suave est, quod illos revocat doloris argumentum. Lucem ergo perpetuam pijs BALTHASARIS manibus decernite: neque pro ea de impendijs sumptuosis solliciti inquirete: omnem, ille vobis ipse apparatus suppeditat, quod mea pijs ejus manibus devota percensere Studia meditantur, huic animandæ luci omnem ipse materiam subministrat. Lux ergo perpetua luceat ei. Aut si operis arrogantiam perhorrescitis & superstitiosa Tulliolæ me loqui miracula existimatis, à pia mentem causa non avertite, ita enim de hac perpetua luce dictionis meæ progressum verba facere deprehendetis, ut debito vos vestro respondisse comperiatis, si pijs ejus manibus lucem perpetuam inter astra gratulati æternam.

nam ejus meritis memoriam, quam æquissimo jure succensam
ejus honoribus perpetuam lucem compellaveritis, decernatis.

Quo in negotio damnarem ego profectò inania quorundam studia, quæ pro fastuosa hac luce præcoces mentis suæ curas in aliena prorsus ablegarent Consilia, quæis & arcana hætenus perscrutentur maria, abdita montium rimentur claustra, inaccessa terrarum investigent repagula, vetusta superstitiosæ antiquitatis perlustrent volumina, delira mendacis superstitionis explorent miracula; unde examinatam prudentiore mentis judicio liquoris illius præconci-
pian-
cipiant novitatem, quæ ita suis exempta à fæcibus, ita suis ferena à tenebris constantissimæ ignis levitati sese accommodet, ut neque arroganti elemento cineres inspergat, unde in gloriæ pertæsum flammæ inter substitutas sibi favillas sese subtrahat: neque ignobiles immittat fumos, unde pallidioris impatiens fuliginis inter patrocinantæ arrogantiaæ cineres sese subducatur: damnarem ego inutilem hanc industriam, sed nec probarem illam, quæ damnatam persequeretur sollicitudinem, ut promissam sub ejus liquoris symbolo comprehenderet materiam, quam pro perpetua enutrienda memoria Ipso à BALTHASARE subministrandam pollicebar, nollem enim aliud desiderata obire munia felicius statuere-
tis elementum, quàm ipsum illud, quod superstitiosus quidem fæminei tumuli architectus, sapientissimus tamen naturæ interpres Tullius perpetuo Tulliolæ suæ foco in subsidium evocavit: nollem aliud, quàm Palladia enutritum ab arbore elementum, oleum scilicet, crederetis; nollem denique aliam à BALTHASARE pro perpetua ejus memoria materiam, quam sub olei ænigmate antiqua locuta sit sapientia, me loqui existimaretis misericordiam. Sub olei ænigmate sapiens hanc olim virtutem proponebat antiquitas, aut quia cum limpido hoc latice commune habet misericordia, ut alienis nata calamitati & doloribus præsentissima

tissima luctûs ac infortuniorum adferat lenimina, aut quia exhausta laboribus, seu damnata certamini, restaurat, animátque corpora, aut quia, ut illud Constantissimæ ignis levitati perpetua subministrat nutrimenta, ita ista instabili hominum memoriæ æterna subministrat alimenta. Quare nollem & ego aliud pro perpetua piorum manium luce, quàm suppeditatam à viro liberalissimo misericordiam me loqui existimaretis: sed an non eam perpetuâ dignam luce, perpetuâ dignam memoriâ æstimaveritis? Illam illam intelligo, quam suo quondam æstimasset Claudianus aliquis in Eutropio, nunc vero communia pro BALTHASARE decantant encomia: Nil negat, & sese vel non poscentibus offert: illam quâ suo quondam adoravit Roma in Tiberio, nunc universa BALTHASARI pauperum gratulantur Elogia, cujus benigna consilia tristi neminem vultu sibi eripi patiebantur: illam quâ suo quondam obstupuit antiquitas in Vespasiano, nunc vero omnia in viro magnifico suspexere Academicorum pectora, quæ expensum, sine beneficijs diem amissum est arbitrata: illam, quam ipsa Vespasiani invidisset arrogantia, hæc enim solam diei jacturam absque expensis beneficijs lamentabatur, illa ipsam suis manibus decretam noctem absque illis se perdidisse arbitrabatur: ita enim in ipso hujus noctis limine pauperioris Minervæ alumnis legata illam testantur stipendia: illam, illam, quam liberalissima nosocomijs suppeditata exhibent alimenta, quam Coëmpta plurimorum florenorum pretio loquuntur carcerum suppellectilia, quâ omnibus penè Religiosorum domicilijs subministrata celebrant subsidia. Illam æternâ dignam memoriâ ambigeretis misericordiam, quam ipsa inferorum celebrare nondum desirere solemnia? ite ite per me licet eam inter illa excepturi demortuorum monumenta referate, ite quo ereptos à matribus Conjuges funesta olim sandapila tumulavit, an non hujus viri misericordiam celebrari deprehendetis, quando

câm cantari intellexeritis, quâ proniorem suis pro viduis
ab universitatum Rectoribus non suspiraverint? ite, ite,
quâ tenerrimæ lacrymæ avulsos ab orphanis patres dese-
ruere, an non hujus viri agi misericordiam explorabitis,
quando eam celebrari animadverteritis, quâ suaviorem suis
pro natis non anhelaverint? ite ite, quâ funesta lamenta-
suis ab alumnis exactos manes amisere: an non BALTHA-
SARIS deprædicari misericordiam deprehendetis, quando
eam festivo excipi plausu suspexeritis, quâ benigniorem
suis pro alumnis, suis pro stipendijs nullam conceperint?
O immortalibus superis dignam misericordiam! ut proinde
inutilem me locaturum operam crediderim, si eam dixero,
quæ juratos sceptris vestris sapientiæ alumnos, istos quidem in
honorum Universitatis gremium, illos vero in celeberrimum
notariorum numerum nullo admissio laboris pretio, omnes in
paternū recepit subsidium, illam quam universa omnis ætatis,
conditionis omnis suspirant lamenta: video enim inania
damnatis studia, de oleagino non ultrâ solliciti elemento, nec
de ea quæ illo latet in symbolo, perpetuæ flammæ neces-
saria materia, perpetuâ dignam memoriâ BALTHASARIS
misericordiam existimatis, illud tamen studiosè inquiritis,
quod lychni obiens munera sine detrimento ignis patiatur
sibi inuri incendia: hoc si pro elementari ignis nostri luce,
inter sapientum requisieritis Consilia, pretioso naturæ par-
tui Asbesto deferendum reperietis: habet namque pretiosum
hoc naturæ miraculum, ut ad fatalia ignis damnatum in-
cendia, suam quam naturâ matre concepit duritiem, nec
inter allambientia flammarum emolliri lenocinia, nec inter
exitialem ardoris truculentiam enervari patiatur: unde ma-
gnum illud Isidori affecutum elogium; asbestus accensus
semel, incineratur nunquam, communem tandem sibi in-
scribi meritum est Epigraphen: Semper idem. Animadver-
titis opinor Academici genuino rursus in symbolo prodi-
gioso

gioso in Asberto fortissimam BALTHASARIS nostri vobis exhiberi constantiam, quâ nec inter lenocinantes humanarum cupiditatum ardores, sinceram, quam solo hausit patrio, emolliri unquam est passus fidelitatem, nec inter fatales curarum sollicitudinumque æstus intractabilem enervari sustulit laborum tolerantiam. Concepit illam sincero de BALTHASARIS pectore fidelitatem Augustissimum Austriacæ Sapientiæ oraculum, pijsimæ memoriæ FERDINANDUS, Tertium hujus nominis inter Austriacos Imperatores ornamentum, ausus propterea Eum neglectis quam plurimis maximo reipublicæ Romanæ negotio augusto FERDINANDI sui præficere ærario: Eam enim sinceri pectoris indicia loquebantur fidelitatem, quam sapiens huic muneri Principum semper exquirat solertia; regij namque fidelitas sit custos auri, si subditus speretur amor: Fortunæ regis immolant aurum regna, non exosæ ministrorum arrogantia; regnorum pestem publici, sumptus alant? quidquid privatis commodis regij auri cedit, publico succedit damno. Hanc igitur pro regio Augusti nati auro Custodem BALTHASARIS fidelitatem concepit FERDINANDI Sapientia, sed non cautiùs, quàm feliciùs sit affecuta, unde ausa est fidele pectus post absterfa nati funera auratæ militiæ annumerare equitibus, Palatini Comitæ admovere muneribus, sapientiâ dignis Cæsareâ accensere Consiliarijs. Ita ab Austriaca sapientia incorrupta, asbestinæ Constantiæ beneficio BALTHASARIS fidelitas probabatur, honorabatur. Nollem ego alteram, quam ejusdem asbestinæ virtutis beneficio inviolabilem inter curarum sollicitudinumque æstus conservavit percensere laborum tolerantiam: suspexistis illæsam eam plerique inter luculentissima illius testimonia, inter quotidiana viri magnifici adagia: quæ amænam ejus senio suadentibus consilij quietem reposuit: nullum laborum meorum certum,

pondus

pondus statuo : humana hoc cum ferri natura commune,
vita habet, ut nisi labore eam exerceas affiduo, ingloriâ ru-
bigine exedatur: nullum ego Viro Sapienti laborum fi-
nem, nisi qui ad æternam evocat quietem, decerno: non
vir fortis, sapiens minùs æstimandus ille, cui non ani-
mus summas inter laborum crescit difficultates. Ap-
probastis illam alij, quando eâ suspectâ aut immotum,
in motu cœlum, aut requiescentem in motu solem Baltha-
sarem compellâstis. Testata denique eam summa estis Uni-
versitatis nostræ decora, jurata Procuratorum suffragia,
quæ ob admirandam summo in senio laborum tolerantiam
anno quinto ad Decani spectabilis laboriosa munera, quarto
ad Rectoris Magnifici onerosa officia BALTHASAREM revo-
care præsumpsistis. Quæ si vestro probata sunt caculo, si vestro
testata iudicio, mea certè pro sententia conclamatum est, as-
bestinum deprehendistis prodigium: omnem denique pro per-
petua luce materiam, quod meæ vobis dictionis juraverant
exordia, à Balthasare excepistis. Lucem ergo perpetuam,
ei statuite: Memoriam ei perpetuam decernite. Quiescite
igitur sacri manes, pij cineres quiescite: Lux vobis lucebit
perpetua: in æterna recolentur luce immortalia merita,
quæis Universitatem nostram demeruistis, vivet vestra in perpe-
tua memoria misericordia, vivet academicis munijs exercitata
laborû tolerantia, neq; obliviosas patietur tenebras ijs impen-
salaboribus sapientia, quam Imperatoria olim ab aula magni-
ficæ dignitati contulistis, quando doctâ fecundiâ ELEONORAM
Poloniæ Sponsam salutastis, vivet justitia, quâ academicos
fasces exornastis, quando benignissimâ æquitate pupil-
lorum, viduarumque negotia decidistis: Vivet pietas, qua
Magnifica munia commendâstis, quando religiosâ sapientiâ
pios Academicorum manes in lucem revocastis: Vivet libe-
ralitas, quâ magnificam dignitatem exornâstis, quando novâ
eam epomide, auro divite sceptro, palatio honorificè re-
staurato

staurato amplissimè instruxistis , Lux eis, memoriam loquor
perpetuam, tantis meritis lucebit : decernit jam eam Univer-
sitas , quam vester pro hoc opere subministratus apparatus,
ingenita Academicorum pectori gratitudinis officia , com-
munia piarum querelarum lamenta , immortalia deniquè
exposcunt beneficia. Maturata prosequere pia Universitas
vota. Dic Magnifice Domine Rector , suffragare
Facultas Philosophica , dic Academia
Universa

Lux Perpetua luceat ei.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Lux Petrus lucet ei





HONORI, ET AMORI
MAGNIFICI, PRÆNOBILIS, STRENUI,
ATQUE CONSULTISSIMI DOMINI DOMINI
BALTHASARIS A NOLARN
DE NOLENSTEIN
AALL. ET PHILOSOPHIÆ DOCTORIS,
Auratæ Militiæ Equitis, Sacræ Cæsareæ Majestatis
Consiliarij, & Comitis Palatini.



*Tenebris, ad quas fata tuos dam-
nârunt cineres, ad lucem te revo-
camus Umbra Magnifica! non
quidem ad eam solis nostri, quam
mortali nobiscum vacans vita non
sine tadio aspexisti, & rarò etiam-
num nos sine umbris excipimus: sed
ne ad eam quidem, quam delira. M. Tullij Tulliola
succendit superstitio: ad illam verò, quam non pri-
dem Magnifici Rectoris sustinens muma, pijs Acade-*

mico-

micorum manibus lucere præcepisti, ad gratam scilicet meritorum tuorum memoriam. Perpetuam tibi eam decernimus, hanc immortalia beneficia gratitudinem exegisse, ad hanc nos ipsa sidera monuisse videbantur: perpetuam namque inter astra tibi succensam lucem illa exhibuere: ad quam decreta tibi memoria suspiciendam hætenus imperturbatos mentis oculos conservavit. Fave pio affectui, piúmque cælum ita nostris placa animis, ut hanc speculati lucem, vero aliquo cum Hespero in parem inter sidera amentur fulgorem.

Ita vovet tuis meritis.

Obligatissima

Inclyta Facultas Philosophica.